



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de  
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de  
Matrimonio

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniae Agrippinae, 1671**

§. III. Rejicitur secunda sententia, & Sacramenta novæ legis  
instrumentaliter physicè concurrere ad causandam gratiam, ex Scriptura,  
Conciliis, & SS. Patribus ostenditur,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

sola effectus ad gratiam pertinentes in anima facit, sacramentis assistit per quandam Dei ordinationem, & quasi participationem: sic enim ordinavit, & quasi pepigit Deus, ut qui sacramenta accipiunt, simul ab eo gratiam recipiant; non quasi sacramenta aliquid faciant ad hoc. Et est simile de illo qui accipit denarium plumbeum, facta tali ordinatione, ut qui habuerit unum de illis denariis, habeat centum libras à Rege; qui quidem denarius non dat illas centum libras, sed solus Rex accipienti ipsum. Et quia passio talis non erat facta in sacramentis veteris legi, ut accedenti ad ipsa gratiam acciperent, ideo dicuntur gratiam non conferre, sed promittebant tantum. Sed hoc non videtur sufficere ad salvandum dicta Sanctorum, causa enim sine qua non, si nihil omnino faciat ad inducendum effectum, vel disponendo, vel meliorando, quantum ad rationem causandi, nihil habebit supra causas per accidens, sicut album est causa domus, si edificator sit albus; & secundum hoc sacramenta essent causa per accidens tantum respectu sanctificationis: illa enim ordinatio quam dicunt, sive passio, nihil dat eis de ratione causae, sed solum de ratione signi; sicut & denarius plumbeus est solum signum indicans quid debet accipere: quod autem est per accidens, omittitur ab arte, nec ponitur in definitione, unde in definitione sacramentorum non poneretur causalitas praedicta, nec Sancti multum curassent de ea dicere, nec iterum sacramenta nova legi, quae differunt à sacramentis veteris legi secundum ordinationem praedictam, differre ab eis secundum rationem causae, sed solum quantum ad modum significandi; in quantum haec significant gratiam ut statim dandam, illa verò non. Hec S. Doctor: quibus verbis conclusionem nostram & docuit, & probavit. Si enim sacramenta novae legis essent tantum merae conditiones ad quarum praesentiam Deus conferret gratiam, non possent dici eam causare: Sed hoc erroneum est, & Scripturae, Concilii, & Sanctis Patribus repugnans, ut articulo praecedenti contra huius temporis haereticos ostensum est: Ergo & illud, Sequela Majoris patet, nam conditio sine qua non, non influit in effectum, sed tantum desideratur ut causa influat, ut patet in approximatione ignis ad lignum, quae non influit in calorem.

35 Confirmatur & magis illustratur haec ratio: Concilium Florentinum supra citatum, ita asserit nostra sacramenta cavere gratiam, ut hoc dei neget antiquis: At si nostra non alio modo causarent gratiam, quam per modum conditionis, nulla esset haec differentia, qua sacramenta veteris legis, erant etiam saltem conditiones, ad quarum praesentiam Deus conferebat gratiam: Ergo sacramenta novae legis non sunt merae conditiones, ad quarum praesentiam Deus conferebat gratiam.

36 Obijciens primò cum Durando: D. Bernardus in sermone de cena Domini sic loquitur: Sicut Canonicus investitur per librum, Abbas per baculum, Episcopus per baculum & annulum simul, sic diversae gratiae diversis sunt tradita sacramentis. Atqui liber, baculus, & annulus, non sunt causae illorum effectuum, ipsos producentes, sed tantum signa & conditiones: Ergo & sacramenta nostra, respectu collationis gratiae.

37 Respondeo cum D. Thoma in 4. dist. 1. quaest. 1. art. 4. quaest. 1. ad 1. D. Bernardum loco citato comparasse sacramenta baculo, annulo, & libro, non quoad causalitatem divinae gratiae, sed praecise quoad ejus significationem; idque

A colligit ex verbis quae habet antea, quibus docet sacramenta operari gratiam, cum tamen non possit tribui libro, baculo, & annulo, quod operentur illos effectus quos significant.

Obijciens secundò: Sicut se habet lex nova ad legem veterem, sic sacramenta novae legis, ad sacramenta veteris legis: Sed lex veteris (inquirit Durandus) sic se habet ad novam legem, in quantum quod promittebatur in veteri lege, solvitur in nova, non per legem, sed à Deo in lege; Ergo similiter gratia exhibetur in sacramentis novae legis, non per ipsa, sed à Deo in ipsis; & in hoc (subdit idem Author) sufficienter excedunt sacramenta novae legis, sacramenta legis antiquae.

B Respondeo negando Minorem, cum enim lex nova perfectior sit lege veteri, & quod est perfectum, aliquo modo causare debeat, Deum non tantum implet in lege nova quae in veteri promiserat, sed etiam legi novae virtutem tribuit, per quam veteris legis promissa impletur.

## §. III.

Rejicitur secunda sententia, & sacramenta nova legi instrumentaliter physice concurrere ad causandam gratiam: ex Scriptura, Concilio, & SS. Patribus ostenditur.

C Dico secundò: Sacramenta nova legi instrumentaliter physice ad causandam gratiam concurrunt.

Probatum primò conclusio ex verbis illis Christi Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei; ut enim ait S. Thomas 1. 2. quaest. 112. art. 1. ad 2. illis significatur, per sacramenta novae legis causari gratiam instrumentaliter, & per virtutem Spiritus Sancti principaliter: Ergo sicut Spiritus Sanctus principaliter physice causat gratiam, ita & sacramenta legis instrumentaliter physice: instrumentum enim causae physicae principalis, etiam physicum esse debet, & physice causare.

Confirmatur ex variis loquendi modis, quibus Scriptura utitur ad causalitatem nostrorum sacramentorum significandam: nam Joan. 3. dicuntur homines renasci ex aqua, ad Thom. 3. salvari per lavacrum regenerationis, ad Eph. 5. mundari lavacro: Sed hi modi loquendi physice causalitatem indicant: Ergo &c. Minor probatur, nam particula Ex communiter indicat causam physicam, vel materialem, praeter quod dicitur annulus fieri ex auro; vel efficientem & instrumentalem, sicut dum animal dicitur gigni ex semine: constat autem homines renasci spiritualiter ex aqua baptismali, non tanquam ex causa materiali: Ergo ut ex instrumentaliter physica, & tanquam ex spiritualiter efficiente. Idem indicant particula Per, & ablativus casus, cum enim in communi modo loquendi causam physicam instrumentalem scriptura volumus indicare, dicere solemus quod hoc scriptum est calamo, vel per calamum: Ergo similiter cum dicimus mundari lavacro, aut per lavacrum, convenientius id intelligitur ut per instrumentum physicum, quam ut per instrumentum solum morale.

Scio Adversarios respondere, haec omnia re-

42. Ad etiam posse explicari per causalitatem moralem: vulgo enim (inquiunt) dicitur aliquid effici literis, & per literas; meritis, præceptis, ac per merita & præcepta, quæ tamen constar moralitatem causas esse.

Sed licet hoc verum sit, quando constar de morali tantum causalitate sermonem esse, ut in his Adversariorum exemplis contingit, quia manifestum est ea non posse aliter intelligi in re tamen adeo dubia, qualis est ea in qua versamur, de qua non apparet quod non possit nisi moraliter exponi, quis sibi persuadeat Spiritum Sanctum ejusmodi voces quibus vim sacramentorum nostrorum significare voluit, semper minus propriè, ac præter solitum usum, ad moralem duntaxat & metaphoricam causalitatem significandam ultrapasse, & tamen nupiam explicuisti se illo sensu esse locutum.

43. Probatur secundò conclusio ex Tridentino, quod sess. 7. Canone 6. jubet sub anathematis pena credere sacramenta novæ legis continere gratiam quam significant, quod etiam asserit Florentianum in decreto unionis: At hoc verificari nequit de continentia locali, & materiali, quomodo aqua verbi gratia continetur in vase, medicina in pixide, vel pecunia in bursa; gratia enim, cum sit qualitas spiritalis, non occupat locum. Unde rectè dixit S. Bonaventura in 4. dist. art. 1. quæst. 3. Non aliquo modo dicendum est, quod gratia continetur in ipsis sacramentis, tanquam aqua in vase, vel medicina in pixide. Non potest etiam hoc intelligi de continentia formali per inhesionem, eo modo quo accidens dicitur contineri in subiecto cui inest; gratia enim, cum sit accidens spirituale, completum, & permanent, non inhæret sacramentis, quæ sunt res corporeæ; sed residet in essentia animæ, quæ spiritalis est. Ergo necessariò hoc debet intelligi de continentia virtuali, quæ propria est causæ efficientis principalis, vel instrumentalis; quo pacto illuminatio & calefactio in Sole & igne continentur, & planta in semine, & effectus artis in instrumento artificis. Unde D. Thomas hic art. 3. in corp. art. quod gratia continetur in sacramento, secundum quandam instrumentalem virtutem, quæ est sicut & completa. Et in contrarium tertio loco sibi objicit: Spirituale non continetur à corporali, etiam si non eo sit, non enim anima continetur à corpore, sed potius continet corpus: Ergo videtur quod gratia, cum sit quid spirituale, non continetur in Sacramento corporali. Cui argumento sic respondet: Ad tertium dicendum, quod spirituale est perfectè in aliquo, continet ipsum, & non continetur ab eo: sed gratia est in Sacramento, secundum esse suum & incompletum, & ideo non inconuenienter dicitur sacramentum continere gratiam.

Ex quo facile intelliges quo sensu sacramenta novæ legis, à SS. Patribus & Theologis, vasa gratiæ, interdum appellentur, quia scilicet eam virtualiter continent, ut ejus causæ instrumentales; sicut arma vocantur in Scriptura, Vasa benedictionis, vasa mortis, & instrumenta musica, Vasa canitæ, eo quod prædictos effectus, velut causæ instrumentales virtualiter contineant.

44. Nec valet si dicas cum Adversariis, sacramenta novæ legis, vasa gratiæ appellari, & dici eam continere, quia continent virtutem sanguinis & passionis Christi, velut quædam signa & chirographa, ad quorum præsentiam Deus infallibili-

ter confert gratiam. Non valet inquam: licet enim hedera sit signum infallibile vni vendibilis, non dicitur tamen continere vinum & multo minus esse vas vini, aut vino plena: chirographum etiam, quamvis sit infallibile signum pecuniæ debitæ, & ad ejus exhibitionem pecunia debita exhibeatur, nullus tamen propterea dicit, illud esse plenum pecuniâ, aut vas, vel bursum eam continentem. Similiter ergo si sacramenta novæ legis, sint dumtaxat signa, chirographa, & moralia instrumenta quæ Deum excitent ad dandam gratiam ritè ea suscipientibus, intuitu passionis & meritum Christi, incongruè esse vasa gratiæ, eamque continere dicentur.

Probatur tertio conclusio ex sanctis Patribus. 45

qui virtutem & causalitatem physicam sacramentorum novæ legis passim videntur innuere. In primis enim Tertullianus antiquissimus Author libro de Baptismo cap. 4. sic ait: Igitur omnes aqua de pristina originis prerogativa, sacramentatum sanctificationis consequuntur, invocato Deo: superuenit enim statim Spiritus de cælis, & aqua superest, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificandæ, vim sanctificandi combibunt. Docet etiam idem Author, quod sicut aqua elementaris initio mundi fecundata Spiritu Dei, produxit pisces, & alia animalia; ita aqua baptismalis, eodem Spiritu sanctificata, spiritualiter regenerat Christianos, quos idcirco pisciculos appellat. Huic consonat illud Leonis Papæ serm. 4. de Nativitate Domini: Omnis hominis renascenti Baptismus est ad instar uteri virginali, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit & Virginem. Eritud quod serm. 5. habetur: Virtus Altissimi quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, facit ut regeneret unda credentem. Favet etiam Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joann. cap. 42. ubi ait: Quemadmodum viribus ignis intensus aqua calefacta, non aliter urit, quam ipse ignis; sic Spiritus Sancti operatione, aqua quæ baptizati corpus aspergitur, reformatur ad divinam virtutem & potentiam. Nilsenus oratione de S. Baptismo docet eo modo aquam Baptismi purgare animam, hominemque regenerare, quo semen est causa effectrix hominis geniti. Chrysostomus homil. 31. in Joann. Futurum erat (inquit) Baptisma, plenum maxime potestatis & gratiæ, purgaturum peccata, pro mortuo vivum efficiendum. Et homil. 27. docet, Christianos in fonte Baptismali formari, ut embrio in utero matris. Quod (inquit) est matrix embioni, hoc & fidei aqua. Cyprianus serm. de cæna Domini, ait de Eucharistia, Panis est propter nutrimenti congruentiam, sanguis propter vivificationis efficientiam. Celebre etiam est illud Augustini Tract. 80. in Joann. Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluit! Denique Sanctus Sylvester apud Nicephorum libro 7. historiæ capite 33. alloquens Constantinum Imperatorem, illumque invitans de virtute Baptismi, sic ait: Hæc aqua, Imperator, divinâ virtute per invocationem vivificæ Trinitatis concepta, sicut cæteris corpus hominis abluit, ita etiam interius animam mundat & splendidiorem, radiis solaribus efficit.

Ex his SS. Patrum testimoniis plura possunt argumenta desumi, ad suadendum eos in sacramentis novæ legis, non solum virtutem & causalitatem moralem, sed etiam physicam agnovisse. In primis enim recipere à Spiritu Sancto virtutem sanctificandi, & eam in se combibere, vel imbibere, virtutem & causalitatem physicam de-

notat;

notat; vis enim moralis, cum sit merum ens rationis, non potest, nisi absurdè & ineptè, dici combibi in aqua, vel in ea inhiberi: Sed ex Terulliano citato, aquæ Baptismi virtutem sanctificandi combibunt in semetipsis: Ergo in aquis Baptismi virtutem instrumentalem physicam productivam gratiæ agnovit.

47 Secundo, ex eodem Authore, sicut ex aquis naturalibus pisces generantur, ita & ex aquis Baptismi homines spiritualiter regenerantur: Sed aquæ naturales concurrunt physicè ad generationem piscium; Ergo & aquæ Baptismi ad regenerationem fidelium.

48 Tertio, ex Leone, Chrysostomo, Cyrillo, & Niseno citatis, Baptisma se habet ad instar uteri virginis ex quo natus est Christus; ad instar matris seu vulvæ in qua homo concipitur: ad instar feminis ex quo generatur; & ad instar aquæ ferventis, quæ ab igne calefacta, non minus nitit, quàm ipse ignis: At certum est concursum Virginis ad partum Christi, fuisse physicum, vulvam in qua homo concipitur, physicè ad ejus conceptionem concurrere; semen ex quo generatur, esse instrumentum physicum, & physicè concurrere ad ejus generationem; & denique aquam ferventem, & ab igne calefactam, physicè in calefactionem influere: Ergo pariter juxta illos SS. Patres, causalitas novæ legis tribuenda est.

49 Demum si sacramenta moraliter tantum concurrerent ad gratiæ productionem, & hominum sanctificationem, & essent solum (ut docent Adversarii) veluti chirographa, quæ Deum moraliter moverent & excitarent ad gratiam conferendam, absurda profus ac inepta, & quasi puerilis esset, celebris illa Augustini exclamatio, & admiratio: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat!* hoc enim commune & usitatum est apud homines, ut in virtute chirographi, vel sigilli regii, in cæra impressi, & aliorum signorum sensibilem, conferantur officia, dignitates, pecuniæ, & aliæ res magni momenti. Unde si quis in hanc admirationem & exclamationem erumperet, *Quæ est tanta virtus chirographi, ut ad exhibitionem ejus, statim numerentur pecuniæ!* *Quæ est tanta virtus monetæ, ut tradita mercatori, statim det ea quæ vendidit!* *Quæ est tanta virtus hederæ, ut ad fores appetita, statim vendatur vinum!* merito irrideretur ab hominibus: ita pariter si sacramenta solum moraliter ad gratiæ productionem concurrant, irritoria erit hæc Augustini admiratio: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat!*

50 Hæc omnia confirmari & illustrari possunt ex Catechismo Romano, jussu Pii V. edito, & in pluribus Conciliis Provincialibus in Gallia celebratis recepto: in eo enim parte 2. Symboli capit. 1. quæst. 18. hæc verba leguntur: *Quo pacto tanta res & tam admirabile, per sacramentum efficiatur, ut quemadmodum S. Augustini sententia celebratum est, aqua corpus tangat, & cor abluat, id quidem humana ratione atque intelligentia comprehendere non potest; constitutum enim esse debet, nullam rem sensibilem, suæ nature vi præditam esse, ut penetrare ad animam queat: at fidei lumine cognoscimus, omnipotentis Dei virtutem sacramentis inesse, quæ id efficiant quod sua vi res ipsæ naturales præstare non possunt. Quibus verbis in primis clarissime exprimitur efficientia realis & physica sacramentorum. Secundò*

A declaratur hanc sententiam non esse rejiciendam ex eo quod non ita facile percipitur, aliæ quæ causalitatem duntaxat moralem exhibent. Tertio, ad hoc probandum adducitur lebreum illum locum Augustini: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat!* Denique rationem reddens quare hæc efficientia & causalitas sacramentorum, lumine naturali non ita facile possit intelligi, dicit hoc idcirco esse, quia nullæ res sensibiles suæ natura, ea vi præditæ sunt, ut penetrare ad animam queat: quæ ratio (ut evidens est) solum valet de instrumento physico, cum instrumenta moralia nullo modo debeant contingere subiectum in quo effectus causa spiritualis producitur.

## S. IV.

Mens Divi Thomæ aperitur.

Incet superfluum videatur mentem S. Doctoris in hujus difficultatis resolutione involvitur, nam ita clarè & perspicuè pluribus in locis causalitatem & efficientiam physicam in sacramentis novæ legis agnoscit, ut de hoc dubitare, sit tenebras soli ostendere, & ut ajunt, in mediæ cœcutire. Quia tamen Vazquez, Coninch, & Delugo, S. Thomam in suam conantur pertrahere sententiam, & novissimè Augustinus Bernal, ejusdem Societatis Theologus, disp. 12. de sacramentis sect. 4. §. 2. ait quod *influxum physicum sacramentorum assertio, inquit S. Thomas, in eam rem, pluribus attribuit, & hujus positionis assertores, ignorantes, ineptos Philosophos, summè stupidos, & incredibilibus ostantia Authores, appellat, ut clarè pateat, quantum Author ille verbis illis excellat, & quantum in doctrina D. Thomæ novius sit ac peregrinus, operæ pretium existimavi, variis ac evidentissimis demonstrationibus arguere, S. Doctorem stare pro nostra sententia, & causalitatem physicam in sacramentis novæ legis manifestè docere.*

D In primis ergo manifestum est, secutum esse instrumentum physicum ad faciendum effectum: Sed expresse docet S. Thomas hæc in corp. sacramenta novæ legis eodem modo causare gratiam, quo securus facit ledum, ut enim: *Causa instrumentalis non agit per virtutem suam formæ, sed solum per motum quo movetur a principali agente, unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti, sicut ledus non assimilatur securi, sed arti quæ est in mente artificis; & hoc modo sacramenta novæ legis GRATIAM CAUSANT.* Ergo juxta D. Thomam, sacramenta novæ legis instrumentally physicè causant gratiam.

E Secundò, Idem S. Doctor ibidem in sol. ad 2. docet sacramenta novæ legis ex illis instrumentis esse, quæ duas habent actiones, unam propriam, & aliam instrumentalem, & hæc per illam efficiunt, qualem dicit esse securus respectu ledi: At hæc instrumenta sunt physica, ut convincit non solum exemplum securis, sed etiam doctrina ejusdem Doctoris Angelici capite quæst. 45. art. 5. ubi instrumenta quæ duas actiones habent, negat posse esse instrumenta creationis, cum tamen constet creaturam ad creandum, moraliter posse concurrere, cum creationem alicujus rei potest homo meteci, ut inquit are a Deo: Ergo juxta sanctum Thomam, sacramenta novæ legis sunt physica instrumenta gratiæ.

Tertio